

michi fuerint presentata, presentibus ipsis uel eorum nunciis pro utraque parte legaliter et bona fide.

[28]. *De ponderacione mercium.*

Precipimus ut omnes merces que in tarreta aliqua caricabuntur de cetero debeant ponderari ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, XLIII.

[29]. *De pena quam incurrunt patroni si aliquid ponitur in tarretis postquam sunt mensurate.*

Affirmamus quod postquam tarreta ut dictum est fuerit mensurata, si aliquid positum fuerit in eadem, patronus ipsius tarrete emendet duplum nostro comuni, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, XLVII.

[30]. *De mercibus quando ponuntur in tarretis.*

c. 255\*     || Mandamus quod quilibet mercator et marinarius, cum uoluerit conducere merces suas iuxta tarretam, det noticiam patrono, et tunc patronus, uel alius pro eo, teneatur et debeat recipere merces mercatoris. et marinarii, et eas in custodia sua habere, et dare cum omni integritate ut in statuto nauium continetur. Et si dampnum aliquod euenerit in eisdem mercibus, nostri consules in Ueneciis, uel rectores loci illius in quo tarrecta fuerit, dampnum illud uidere debeant et extimare, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, L, LI.

[31]. *Quod merces non ponantur super cooperta, excepto uino, aqua et pane.*

c. 256     Dicimus quod nulle merces ponantur super cooperta tarrete excepto in capsella, sub pena que in statuto nauium continetur. Sed concedimus || cuilibet mense portare